

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Matronae munificentissimae Dorotheae Friedericae
Lucretiae de Pelcke, natae de Bernhold in Eschau, ...
parentabunt ... cives ...**

Sachs, Johann Christian

Carolsruhae, 1769

"Fuit illa Generosissima Domina [...]"

[urn:nbn:de:bsz:31-116002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116002)

Brizinga et Gallenvillera, Dynastiae Badenvilleranae vici, BARBARAM KLINGERIAM, civem honestam, et IOHANNEM ADAMVM SCHAVBIVM, Iustitiae quondam et Regiminis Consiliarium Fiscique Principis Procuratorem, quorum illa mille florenos, hic praeter agellum feracem, sexcentos florenos eundem in finem donavit, semper meminerint.

Sed non unum est beneficentiae genus. Memoravimus hactenus, qui de litteris litterarumque cupidis et doctoribus fuere benevolentissimi. Exponendum jam aliud, idque summae liberalitatis et rarissimae munificentiae exemplum, qua illiterati aequae ac litterati fruuntur, pueri inuptaeque puellae juvantur, quae viduis solatio est praesidioque paterno carentibus, universae patriae commodo atque utilitati.

Parentandum hodie est matronae veteris profapiae ac multarum imaginum; matronae tam genere insigni, quam virtutibus nobili, quae ipsis Idibus Maji superioris anni translata in beatorum sedes, ineffabili illo apud Deum Dominumque et Servatorem suum Jesum Christum gaudio perfunditur.

Fuit illa Generosissima Domina DOROTHEA FRIDERICA LUCRETIA, Generosissimi Domini IOANNIS BERNHARDI DE PELCKE ex Familia Boreslawiz conjux castissima. Nata est anno superioris saeculi octogesimo tertio, III. Kal. Octobr. Visbadae. Patrem habuit IOANNEM LUDOVICUM DE BERNHOLD IN ESCHAU, matrem LUCRETIAM ex nobili STEINIORUM profapia. Communem hanc esse mortalium omnium

COR-

Bri-



conditionem, ut summi, medioximi, infimi ab acerbis saepe fatis urgeantur, infans adhuc experta. Annum enim aetatis sextum vix ingressa cum parente optimo orbaretur, ne solertissimae quidem matris cura atque educatione frui diutius parvulae licuit. Prospexit vero supremi Numinis benignitas, ut ne unquam deessent, qui eam exciperent, alerent, ad optima quaevis deducerent. Adolevit in domibus eorum, qui ex nobilissimis familiis *Seckendorffiorum*, *de Bibra*, *Zorniorum* vel propinqua cognatione vel affinitate cum ipsa fuere conjuncti; omnibus, quae hominem genere nobilem, vere nobilitant, virtutibus condecorata.

Anno hujus saeculi decimo quarto propinquis atque amicis relictis amicissimam nacta est Principem, in cujus aulam, veluti in portum post varias vicissitudines delata. Commendata enim virtutibus suis innotuit *Serenissimae* quondam *Heræ nostrae*, MAGDALENÆ WILHELMINÆ; circa quam fuit, officiis, quibus foeminae nobiles solent, in aula perfungens, usque ad annum hujus seculi trigessimum tertium, quo generosissimo PELCKIO nupta, cujus jam supra facta est mentio. Fuit is Serenissimo CAROLO WILHELMO a consiliis aulae atque regiminis, et Serenissimae MAGDALENÆ WILHELMINÆ supremus aulae magister, vir insigni in Deum pietate, praeclara doctrina, singulari comitate, morum modestia, summa sermonis affabilitate. Cum maritus insignis divinae providentiae fuisset documentum, quam marita quoque experta singularem, colloquendi materiam hi conjuges quotidie habuere non perjucundam modo, sed et longe gratissimam. Quodsi enim,